

formæ, cui assimilatur effectus; sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus, quia gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo divinæ naturæ, secundum illud 2 Petri 1: Magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinæ simus consortes naturæ. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Unde Augustinus dicit 19 contra Faustum (c. 16, in pr., tom. 6): Hæc omnia, scilicet, sacramentalia, fiunt et transeunt; virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ista operatur, jugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde ad Titum 3, dicitur: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.

Ad 1 ergo dicendum, quod causa principalis non proprie potest dici signum effectus, licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis et manifesta; sed causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti; eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, in quantum movetur a principali agente. Et secundum hoc, sacramenta novæ legis, simul sunt causæ et signa; et inde est, quod sicut communiter dicitur, efficiunt quod figurant; ex quo etiam patet, quod habent perfecte rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.

Ad 2, dicendum, quod instrumentum habet duas actiones. Unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam: sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis; facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam; sicut aqua baptismi, abluendo corpus secundum propriam virtutem, abluit animam, in quantum est in-

strumentum virtutis divinæ; nam ex anima et corpore unum fit. Et hoc est, quod Augustinus (loc. cit. in argu. Sed contra) dicit, quod corpus tangit et cor abluit.

Ad 3, dicendum, quod ratio illa procedit de eo quod est causa gratiæ per modum principalis agentis. Hoc enim est proprium Dei, ut dictum est (in corp. art.).

COMMENTARIUS.

1. Hic articulus de sacramentis novæ legis intelligendus videtur, ut ex responsione articuli constat, et ex articulo ultimo hujus quæstionis, in quo specialis quæstio proponitur de sacramentis veteribus; recte autem notat Cajetanus gratiam hic sumi, ut a caractere distinguitur, quia ita illam distinguit D. Thomas in principio quæstionis, vocans gratiam, effectum principalem sacramentorum; characterem vero, effectum secundarium; quanquam autem in articulo sequenti declaret D. Thomas specialius de hac gratia sacramentorum quid sit, tamen sine dubio est hic art. præcipue intelligendus de gratia sanctificante et habituali, quia in hac præcipue versatur tota efficacia sacramentorum. Unde ratio D. Thomæ in articulo de hac gratia potissimum procedit; nam hæc est, per quam Christi membra efficiuntur.

2. D. Thom. tribuere sacramentis causalitatem physicam ostenditur. — Respondet ergo D. Thom. negari non posse, quin sacramenta sint aliquo modo causæ gratiæ, quia per illa incorporamur Christo, tum etiam, quia ita loquuntur SS. Patres de sacramentis. In modo autem hujus causalitatis explicando dicit, duo extrema esse cavenda. Alterum, ne existimetur esse causæ principales gratiæ, hoc enim solius Dei proprium est; alterum est, ne existimetur esse tantum conditiones requisitæ ad quarum præsentiam Deus operatur, quia hoc non excedit rationem signi; sed asserendum est esse causas instrumentales, quæ a Deo, ut a principali agente ordinantur et elevantur ad hunc effectum. In quo discursu aperte constat, mentem D. Thomæ esse, tribuere instrumentis propriam causalitatem physicam instrumentalem. Primo, quia omnis alia causalitas non excedit rationem signi, ut aperte D. Thomas explicat, exemplum ponens in sigillo regio, seu denario plumbeo, quo exhibito datur magna quantitas pecuniæ propter ordinationem regis, in quo reperitur causalitas moralis, seu conditionis

requisitæ, et omnis alia, quæ præter physicam et propriam actionem fingi posset, et tamen totam illam excludit D. Thomas ut insufficientem sacramentis. Secundo, quia cum D. Thomas distinguit duplicem causam agentem, principalem et instrumentalem, aperte loquitur de causa per se, ac physica. Observandum præterea est D. Thomam non probare, sed supponere esse possibilem hujusmodi causalitatem instrumentalem sacramentorum; existimavit enim satis esse argumenta solvere, quibus hoc videri posset impossibile, quod præcipue fecit in secundo argumento, cujus solutio est valde difficilis; tractanda vero est late in sequenti disputatione; alia vero argumenta facilia sunt.

3. Sacramenta non esse causas principales gratiæ, ita certum est ne in quæstionem quidem vocetur. — Ultimo est observandum in hoc articulo, non esse hoc loco tractandum, an aliquid præter Deum possit esse causa principalis gratiæ, et quam vim habeat illa ratio D. Thomæ, gratiam esse participatam similitudinem divinæ naturæ et ideo non posse manare ab alio, ut a principali agente, nisi ab ipsa divina natura. Hæc enim quæstio proprium locum habet in materia de gratia, et hic solum obiter et per occasionem a D. Thomæ tangitur; nam præsentis disputationi non est necessaria, quia certissimum et extra controversiam est, sacramenta non esse causas principales gratiæ, cum sint res inferioris ordinis.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum (Infra quæst. 72, art. 7 ad 2. Et 4, d. 7, quæst. 2, art. 2, quæst. 3, et d. 17, qu. 1, art. 4, quæst. 5. Et 1. 2, quæst. 110, art. 3 et 4).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod gratia sacramentalis non addat aliquid super gratiam virtutum et donorum. Per gratiam enim virtutum et donorum perficitur anima sufficienter, et quantum ad essentiam animæ, et quantum ad potentias ejus, ut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

2. Præterea, defectus animæ ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum et donorum, quia nullum est peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramenta-

lis, cum ordinetur ad defectus animæ tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

3. Præterea, omnis additio vel subtractio in formis, variat speciem, ut dicitur Metaph. (lib. 8, tex. 30, tom. 3). Si ergo gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum et donorum, sequitur, quod æquivoce dicatur gratia. Et sic nihil certum nobis ostenditur, ex hoc, quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Sed contra est, quod si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum et virtutum, frustra sacramenta habentibus et dona et virtutes conferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustra. Ergo videtur, quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Respondeo dicendum, quod, sicut in 2 part. dictum est (1. 2, quæst. 110, art. 3 et 4), gratia secundum se considerata, perficit essentiam animæ, in quantum participat quamdam similitudinem divini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt ejus potentia, ita a gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes et dona, quibus potentia perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana; sicut baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi. Qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.

Ad 1 ergo dicendum, quod gratia virtutum et donorum sufficienter perficit essentiam et potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur sacramentalis gratia.

Ad 2, dicendum, quod per virtutes et dona excluduntur sufficienter vitia et peccata quantum ad præsens et futurum, in quantum scilicet, impeditur homo per virtutes et dona

a peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quæ transeunt actu et permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

Ad 3, dicendum, quod ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam sicut ratio speciei ad genus. Unde sicut non æquivoce dicitur animal communiter dictum et pro homine sumptum, ita non æquivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis.

COMMENTARIUS.

Per gratiam virtutum et donorum intelligit D. Thomas gratiam habitualement, quæ est in essentia animæ, et virtutes infusas, cum donis Spiritus Sancti. Quæritur autem, non, an sacramentalis gratia distinguatur ab hac gratia virtutum et donorum, sed, an aliquid illi addat; itaque sentit (quod notandum est) gratiam, quæ est effectus sacramentorum, primum omnium supponere atque includere hanc gratiam virtutum et donorum, et hoc sumit tanquam probatum articulo præcedenti; hic vero inquit, an aliquid addat. Et hoc sensu est facilis responsio D. Thomæ, scilicet, hanc gratiam addere auxilium aliquod, præter gratiam virtutum et donorum; ubi nomine auxilii intelligendum est vel auxilium proprie dictum, quod ad operandum datur, vel quicumque specialis effectus gratiæ, qui ratione sacramenti confertur; nam singula sacramenta ad speciales fines et effectus ordinantur, et ideo necesse est, ut aliquid speciale conferant. Quæ est summa rationis D. Thomæ, et ita est facilis tota littera articuli præter solutionem ad tertium, ubi dicit, hanc gratiam sacramentalem comparari ad gratiam in communi, sicut speciem ad genus, quod explicabimus inferius de ea re disputantes.

ARTICULUS III.

Utrum sacramenta novæ legis contineant gratiam (4, dist. 2, art. 4, quæst. 4, et Ver., quæst. 27, art. 7).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramenta novæ legis non contineant gratiam; contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sacramento, neque sicut in subjecto (quia subjectum gratiæ non est corpus, sed spiritus), neque sicut in vase, quia vas est locus mobilis, ut dicitur Physic. (lib. 4, tex. 41, tom. 2). Esse autem in loco non con-

venit accidenti. Ergo videtur quod sacramenta novæ legis non contineant gratiam.

2. Præterea, sacramenta ordinantur ad hoc quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia, cum sit accidens, non potest transire de subjecto in subjectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

3. Præterea, spirituale non continetur a corporali, etiamsi in eo sit. Non enim anima continetur a corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia, cum sit quiddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

Sed contra est, quod Hugo de Sancto Victore dicit (lib. de Sacram., p. 19, cap. 1) quod sacramentum ex sanctificatione invisibilem gratiam continet.

Respondeo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur esse in alio; inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Uno modo sicut in signo, nam sacramentum est signum gratiæ. Alio modo sicut in causa, nam sicut dictum est (art. præced.), sacramentum novæ legis est instrumentalis gratiæ causa. Unde gratia est in sacramento novæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa univoca; neque etiam secundum aliquam formam propriam et permanentem, et proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non univocis, puta, res generatæ in sole; sed secundum quamdam instrumentalem virtutem, quæ est fluens et incompleta in esse naturæ, ut infra dicitur (art. seq.).

Ad 1 ergo dicendum, quod gratia non dicitur esse in sacramento, sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi, secundum quod dicitur Ezechiel. 9: Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

Ad 2, dicendum, quod quamvis accidens non transeat a subjecto in subjectum, transit tamen a causa per instrumentum alicujus in subjectum, non ut eodem modo sit in eis, sed in unoquoque secundum propriam rationem.

Ad 3, dicendum, quod spirituale existens perfecte in alio, continet ipsum et non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens et incompletum. Et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

In hoc articulo nullam rem novam declarat D. Thomas, sed solum explicat hunc loquendi modum, quo nihil aliud significatur, quam

sacramenta habere aliquo modo virtutem ad efficiendam gratiam, nam hoc modo dicuntur eam continere, non formaliter, sed in virtute, non principali, sed instrumentali.

ARTICULUS IV.

Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causativa (Infra quæst. 78, art. 4, et 4, d. 1, quæst. 1, et d. 8, art. 3, et Quodl. 12, art. 15).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in sacramentis non sit aliqua virtus, gratiæ causativa. Virtus enim gratiæ causativa est virtus spiritualis. Sed in corpore non potest esse virtus spiritualis, neque ita quod sit propria ei (quia virtus fluit ab essentia rei, et ita non potest eam transcendere); neque ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum recipientis. Ergo in sacramentis non potest esse aliqua virtus gratiæ causativa.

2. Præterea, omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis et ad aliquem gradum boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus (ut patet discurrenti per singula); nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum; neque enim est inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis; neque etiam inter media bona, cujusmodi sunt potentia animæ, quæ sunt quædam potentia naturales; neque etiam inter maxima bona, quia nec est gratia, nec virtus mentis. Ergo videtur, quod in sacramentis nulla sit virtus gratiæ causativa.

3. Præterea, si talis virtus est in sacramentis, non causatur in eis, nisi per creationem a Deo. Sed inconveniens videtur, quod tam nobilis creatura statim esse desinat sacramento perfecto. Ergo videtur, quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

4. Præterea, idem non potest esse in diversis. Sed ad sacramenta concurrunt diversa, scilicet verba et res. Unius autem sacramenti non potest esse nisi virtus una. Ergo videtur, quod in sacramentis nulla sit virtus.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super Joan. (80, post med., tom. 9): Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat et cor abluat. Et Beda dicit (in hom. Evangel. quod canitur in octav. Epiphaniæ. In homilario totius anni invenies), quod Dominus tactu suæ mundissimæ carnis oim regenerativam contulit aquis.

Respondeo dicendum, quod illi qui ponunt, quod sacramenta non causant gratiam nisi per quamdam concomitantiam, ponunt, quod

in sacramento non sit aliqua virtus, quæ operetur ad sacramenti effectum, est tamen virtus divina, sacramento assistens, quæ sacramentalem effectum operatur. Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et hæc quidem virtus proportionatur instrumento. Unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicujus rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim ut dictum est (art. 1 hujus quæst.) non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanentem et completum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum; sicut et motus est actus imperfectus, ab agente in patiens.

Ad 1 ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet, in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali, ad aliquem effectum spiritualem inducendum. Sicut et in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

Ad 2, dicendum, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem), ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectæ.

Ad 3, dicendum, quod sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso, quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri ad usum sacramenti. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania: Nec mirum, quod aquam, hoc est, substantiam corporalem ad purificandam animam dicimus pervenire. Pervenit plane et penetrat conscientia universa labula; quamvis enim ipsa sit subtilis et tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ac secreta mentis subtili rore pertransit.

Ad 4, dicendum, quod sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum, ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis et rebus, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum.

COMMENTARIUS.

Hunc articulum proposuit D. Thomas ad solvendam præcipuam difficultatem hujus materiæ, scilicet, quomodo sacramenta possint efficere gratiam, cum non habeant virtutem ad hunc effectum. Ad quam difficillime respondet, esse in sacramentis virtutem instrumentalem, quæ non habet esse permanens, sed transiens ex uno in aliud et incompletum; propter quam imperfectionem, ait in solut. ad 4, hanc virtutem, licet spiritualis sit, posse esse in re corporea; et in solut. ad 2, ait, non constitui in aliquo prædicamento, sed reduci ad genus virtutis perfectæ gratiæ effectricis. Eandem doctrinam habet D. Thomas q. 6, de Potent., art. 4, et q. 27, de Verit., art. 4, ad 4, et in 4, d. 4, q. 4, art. 4, quæstion. 2, ubi Palud. et Capreol. mentem D. Thom. explicant, prout verba sonant; nimirum, addi sacramentis qualitatem quamdam realem, per quam possint gratiam efficere; sed differunt inter se, quia Palud. sentit, qualitatem illam esse materialem; in quo sane non satis constanter loquitur; nam omnis qualitas corporalis est improporcionata ad producendam gratiam; unde illa posita, eadem difficultas superest; est ergo impertinens talis qualitas. Atque ideo Capreol. dicit, illam esse qualitatem spirituales; sed hoc etiam magnas habet difficultates, quas tetigi, in 4 tom., disp. 31, sect. 5, scilicet, quomodo qualitas spiritualis possit inhærere in subjecto materiali, cum ex natura sua non possit habere habitudinem et naturalem proportionem cum illo, et ideo non possit magis informare illud, quam possit aliqua potentia animæ ferri extra objectum suum; quia magis intrinsecus est formæ ordo ad suum actum formalem et subjectum, quam sit potentiæ ordo ad suum actum et objectum. Secundo, quia nulla qualitas potest ex natura sua esse effectiva gratiæ habitualis. Si autem non habet hanc virtutem connaturalem, est impertinens, nihilque juvare poterit. Assumptum patet, quia nec illa qualitas potest natura sua efficere gratiam, per modum virtutis

principalis, vel sufficientis in genere causæ secundæ; quia non est tam perfecta, sicut gratia. Neque etiam potest efficere per modum agentis principalis partialis; quia gratia est altissima participatio divinæ naturæ. Et ideo in solo Deo potest esse tota virtus principalis ad efficiendum illam, adeo ut neque ipsa gratia possit hoc modo concurrere ad efficiendam aliam sibi similem. Denique nec potest concurrere, ut instrumentum connaturale; quia hujusmodi instrumentum non agit, nisi media aliqua actione prævia, sibi et effectui ex natura rei proportionata, quæ nulla hic fingi potest, et ideo Cajet., Soto et alii Thomistæ negant hanc qualitatem, et exponunt D. Thomam per virtutem illam intellexisse motionem primi agentis, quod etiam habet difficultates prædicto loco tractatas. Fortasse igitur D. Thomas per virtutem hanc instrumentalem intellexit potentiam, quam nos vocamus obedientialem; non enim dixit, hanc potentiam addi sacramentis, sed esse in sacramentis; dicitur autem a D. Thoma hæc virtus transiens, quia non censetur esse potentia proxima, nisi quando a Deo elevatur per specialissimum auxilium. Et propterea dicitur non esse in aliquo determinato genere, quia non distinguitur a quacumque entitate rei; nam si esset specialis qualitas, cur non esset in determinato genere et specie? Denique dicitur illa virtus spiritualis, non formaliter, sed causaliter, quia ad efficiendum spiritualem effectum elevatur.

DISPUTATIO VII.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS AD GRATIAM CONFERENDAM.

Tractavimus hactenus quæstionem, an sit et quid sit sacramentum; consequens esse videbatur, ut de causis ejus disputaremus; tamen, quia prima omnium est causa finalis, quæ cum effectu coincidit, in his, quæ sunt instrumenta ad aliquid agendum, ideo prius a D. Thoma disputatum est de effectu sacramentorum, qui est præcipuus finis eorum; et consequenter disserendum fuit de efficacia, quam sacramenta habent, seu de modo, quo possunt hunc effectum inducere. Quia vero in hac re longe diversam perfectionem habent sacramenta nova, quam vetera, ideo prius dicemus de novis sacramentis, postea de veteribus.

SECTIO I.

Utrum sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato.

1. Vide Euthy., 2 d. Panopl., tit. 21, post medium. — Hæreticorum error circa effectum sacramentorum. — Multi hæretici negarunt sacramentis omnem virtutem ad conferendam gratiam; ita Mesaliani, qui specialiter de baptismo dixerunt nihil valere ad salutem conferendam, sed solam orationem sufficere, ut referunt Damasc., lib. de Centum hæresibus, prope finem, et Theodor., lib. 4 hæ. fabul., circa finem, quamvis Epiphani., hæ. 80, et August., hæ. 57, tractantes de Mesalianis, nihil de hoc errore dixerint. Generalius asseruerunt hunc errorem Armeni, ut referunt Guid. Carm., et Prateol., verb. Armeni. Præterea hæretici hujus temporis docent, sacramenta non aliter valere ad gratiam conferendam, nisi ut objecta, vel signa excitantia fidem, quam solam justificare dicunt; et licet interdum vocent sacramenta causas, vel instrumenta justitiæ, tamen ita loquuntur ad decipiendos homines et occultandum errorem; quia re vera sentiunt, non aliter esse causas, quam concionem, vel aliud objectum, quod potest fidem excitare. Addidit præterea Lutherus, sacramenta etiam isto modo non posse tollere peccata, sed tantum efficere, ut tegantur, vel non imputentur; sed hic error in materia de justificatione ex professo impugnatur.

2. Sacramenta novæ legis sunt causa gratiæ. — Dico ergo primo, sacramenta novæ legis esse causas gratiæ. Hæc conclusio est de fide, nam sub eisdem fere terminis definitur in Trident. Concil., sess. 7, can. 6, 7 et 8, et in sess. 6, cap. 7, dixerat, baptismum esse instrumentalem causam justificationis. Concil. etiam Florent. hanc differentiam constituit inter sacramenta antiqua et nostra, quod illa non causabant gratiam, hæc vero et gratiam continent et digne suscipientibus conferunt. Præterea in symbolo Nicæno et Constantinopolitano dicitur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*; quibus verbis significatur, per baptismum conferri remissionem peccatorum et consequenter etiam gratiam. Et idem traditur in Concil. Milevit., c. 2, et Arausic. 2, cap. 25, ac denique in Concil. Senonens., cap. 40, error Lutheri anathematis damnatur.

3. Probatur ex Patribus. — Secundo, probatur hæc veritas ex Patrum traditione. Cle-

mens Alexand., lib. 4, Pædagog., cap. 6, de Baptismo dicit esse gratiam, perfectionem, illuminationem et lavacrum, per quod peccata abstergimus. Justinus, quæst. 56 ad Orthodoxos dicit, baptismum multa bona afferre eis, qui baptizantur. Idem late Chrysostom., hom. de Neophyt., et hom. ad baptizatos, et de Eucharistia habet multa similia homil. 83 in Matth.; Basilius, lib. de Spiritu Sancto, c. 45, dicit, baptismum depurgare animam; et Hom. 4, de Baptismo dicit, baptismum Christi conferre Spiritum Sanctum quem Joannis baptisma non conferebat. Præterea Leo Pap., serm. 4, de Nativ., inquit: *Omni homini renascenti baptismus instar est uteri virginis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic solvat absolutio.* Et similia scribit, serm. 5, atque addit: *Virtus altissimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem.* Ambros., lib. 4 Luc., cap. ejus titulus est, Confirmatio ejusdem exemplo Elisæi et Naaman, eandem tradens doctrinam, illam confirmat exemplo Naaman Syri, jussu Prophetæ a lepra mundati in aqua Jordanis; lib. 4 de Sacram., cap. 4: *Qui per hunc fontem transit a terrenis ad cælestia, a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem*; et cap. 5, adhibens eandem figuram Naaman, subdit: *Non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi; non sanat aqua, nisi prius Spiritus Sanctus descenderit et aquam illam consecraverit*; et lib. 3, de Spiritu Sancto, cap. 44, dicit: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti spem vitæ accipimus æternæ.* Et similiter docet de Eucharistia, quod gratiam conferat, lib. 3 de Sacram., cap. 3. Præterea Cyprian., serm. de Ablut. ped., et serm. de Coena Dom., eodem modo loquitur de his sacramentis. Idem, epist. 63 et 76, et lib. 3 ad Quir., cap. 65, ad hoc adducit verba illa 4 ad Cor. 6: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Hieron. etiam, lib. 3, contra Pelag., in princ. dicit, baptismum præterita donare peccata. Idem fere dialog. contra Lucifer., circa fin., et epist. 83, ad Oceanum, in princ. D. Gregorius, lib. 9, epist. 39; et Augustinus semper constituit differentiam inter vetera et nova sacramenta, quod illa promittebant Salvatorem, hæc dant salutem, præsertim enarratione Psalm. 73, in princ., et lib. 49 contra Faustum, cap. 3, dicit hæc sacramenta esse virtute